

aliquid a Deo impetrare valent, sive pro seipsis, v. g., aliquam remissionem poenae, ut fere omnes fatentur: sive, juxta multos, pro vivis, maxime pro illis qui orant pro ipsis, quia nobiscum sunt in communione sanctorum. Hinc nihil obstat, in ea sententia, quominus istae animae in privatis orationibus invocentur, sicut preces justorum viventium utiliter petuntur.

Quæritur 6º an animæ in purgatorio detentæ, suffragiis vivorum adjuvari possint.

R. De fide est eas adjuvari posse: hoc constat ex conc. Florent., decreto de Purgatorio, et ex Conc. Trid., sess. 22, can. 3, et sess. 25, decreto de Purgatorio, ubi definit «purgatorium esse, animasque ibi detentas fidelium suffragiis, potissimum vero acceptabili altaris sacrificio juveni vari. »

Aliunde dogma istud cum articulo symboli, de communione sanctorum, conjunctum est et perpetua ac universalis Ecclesiæ praxi probatur, ut testimonii in propositione de existentia purgatorii allatis, et ex multis aliis quæ offerri possent, innoscit. Ergo.

Bona opera quibus animæ in Purgatorio adjuvari possunt, prout exponuntur in conc. Florent., sunt: « Missarum sacrificia, orationes, elemosynæ et alia pietatis officia. » His adjungenda est indulgentia, quando ita conceditur ut defunctis applicari possit.

Sacrificium missæ et officium nomine Ecclesiæ celebratum, defunctis prosunt, licet a sacerdote in peccato mortali existente offerantur, quia hæc opera ex ipsius dispositione efficaciam suam non habent. Contra vero, orationes, jejunia aliaque opera personalia in statu peccati peracta, defunctis inservire nequeunt, quia non sunt viva, nec Deo grata.

Determinare non possumus qua mensura suffragia vivorum, etiam præstantissima, ut sacrificium missæ, poenam in Purgatorio solvendam minuant, nec quo modo illorum valor defunctis applicetur; hoc a multis circumstantiis pendere potest, v. g., a natura peccatorum pro quibus poena solvenda est, a voluntate poenitentiam agendi quam

habuerunt defuncti, a sollicitudine qua movebantur viventes erga alios defunctos, a dispositionibus offerentium et orantium, etc.

CAPUT DECIMUM.

DE INDULGENTIIS.

Indulgentia recte definiri potest: *Remissio poenæ temporalis, peccatis actualibus jam remissis quoad culpam debitæ, extra sacramentum Poenitentiae facta ab eis qui habent potestatem thesaurum Ecclesiæ spiritualem dispensandi.*

Dividitur 1º in plenariam et partialem. Indulgentia plenaria ea est quæ omnem poenam peccatis debitam remittit: unde qui eam perfecte lucratus, statim decederet, in regnum cœlorum introiret. Indulgentia partialis ita vocatur, quia partem tantum, majorem vel minorem, poenæ temporalis remittit.

Dividitur 2º in temporalem et in perpetuam. Indulgentia temporalis ea est quæ per aliquod tempus lucranda proponitur, et adveniente termino præfixo expiratur: est vero perpetua, quando indefinite concessa est; non cessat nisi per revocationem sufficienter manifestata.

Dividitur 3º in localem, realem et personalem. Indulgentia localis illa est quæ affixa est loco, v. g., alicui ecclesiæ, capellæ, B. Mariæ; realis ea est quæ nonnullis objectis portabilibus, v. g., coronis, annexa est; indulgentia personalis illa est quæ uni vel pluribus personis annexatur: tales sunt indulgentiæ confraternitatibus concessæ quas confratres ubique lucrari possunt.

Breviter nobis dicendum est 1º de potestate Ecclesiæ concedendi indulgentias; 2º de iis qui hanc habent potestem; 3º de causis ad quas licet indulgentias concedere; 4º de natura indulgentiarum; 5º de thesauro indulgentiarum; 6º de illarum efficacia, et 7º de conditionibus ad eas lucrandas requisitis.

ARTICULUS PRIMUS.

DE POTESTATE ECCLESIAE CONCEDENDI INDULGENTIAS.

Hanc potestatem plus minusve directe negarunt Valdenses, Wiclefistæ, et deinde *Lutherus*, ac post ipsum cuncti Protestantes. Contra quos sit

PROPOSITIO.

Existit in Ecclesia potestas concedendi indulgentias.

Prob. Illa propositio negari non potest, quæ est de fide, ac probatur Scriptura sacra et traditione : atqui propositio nostra est de fide, probatur, etc.

1º *Est de fide.* Sic enim definita fuit in Conc. Trid., sess. 25, decreto de Indulgentiis : « Sacrosancta synodus » indulgentiarum usum christiano populo maxime saluta- » rem et sacrorum conciliorum auctoritate probatum, in » Ecclesia retinendum esse docet et præcipit, eosque anathe- » mate damnat, qui aut inutiles esse asserunt, vel eas con- » cedendi in Ecclesia potestatem esse negant. » Duo igitur fide catholica constant, scilicet 1º Ecclesiam habere potes- tam concedendi indulgentias, et 2º eas populo chris- tiano esse salutares. Ergo 1º.

2º *Prob. Scriptura sacra.* Matth. XVI, 19 : *Tibi dabo claves regni cœlorum, et quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum et in cœlis; et quodcumque solveris super terram, erit solutum et in cœlis;* et VIII, 18 : *Quæcumque solveritis super terram, erunt soluta et in cœlo.* Unde sic : Ecclesia habet potestatem, sine ulla restrictione, aperiendi cœlum, solvendo vincula quæ ingressum ejus impediunt : atqui pena temporalis peccatis remissis debita, est vin- culum ingressum cœli impediens : ergo.

Ea potestate B. Paulus utens erga incestuosum Corinthium quem in vindictam criminis publica pœnitentia af- fecerat, reliquam poenam in persona Christi indulsit, ne abundantiori tristitia absorberetur, II Cor. II, 7. Ergo 2º.

3º *Prob. Traditione.* Ex monumento novissime reperto et

in lucem edito (*monuments inédits sur sainte Marie Madeleine*, t. 2, p. 627), Benedictus IX, anno 1040, per bullam confirmavit indulgentiam plenariam, antea et pro- babiliter a pluribus sœculis, visitationi ecclesiæ sancti Victoris Massiliensis affixam. Versus finem ejusdem sœ- culi, Urbanus II, in concilio Claromontano, anno 1095, longe ante Valdenses, plenariam concessit indulgentiam iis qui crucem adversus infideles sumerent; nemo redar- guit Pontificem eo quod tales exercebat potestatem : ergo tunc constans et universalis erat traditio circa illud punctum. In præcedentibus autem sœculis nullum depre- henditur vestigium institutionis hujus praxis : videmus e contra, in variis temporibus, quasdam indulgentiarum species in usu ; summi Pontifices et episcopi pœnitentias canonicas sæpius relaxabant, modo propter aliquam com- pensationem minorem, modo ad commendationem mar- tyrum. Dici autem non posset has relaxationes in com- modum mere temporale cessisse nec solvisse coram Deo, quod tamen asserere non dubitant Protestantes. Nam, ut ait S. Thomas, « Ecclesia hujusmodi indulgentias fa- ciens magis damnificaret quam adjuvaret ; quia remit- teret ad graviores pœnas, scilicet purgatorii, absolvendo a pœnitentiis injunctis. » Græci usum indulgentiarum non exprobraverunt Latinis, et ipsi indulgentias conce- dent. Ergo 3º.

4º *Prob. ratione.* In Ecclesia est potestas ligandi per satisfactionem pro pœnis temporalibus impositam. Inde facile concipitur solvendi pro iisdem pœnis potestatem Ecclesiæ a Christo concedi potuisse.

Negari non potest plures olim irrepsisse abusus in con- cedendis indulgentiis, unde hæretici immerito sumpserunt occasionem adversus rem ipsam insurgendi : ipsis res- pondendum est per verba sacri Concilii Tridentini, quod, « in his concedendis (indulgentiis) moderationem, juxta veterem et probatam in Ecclesia consuetudinem, adhiberi cupit, ne, nimia facilitate, ecclesiastica disce- plina enervetur ; » sess. 25, Decret. de Indulgentiis. Abusus ergo de quibus conquesti sunt novatores, non im-

putandi sunt Ecclesiae cujus doctrina semper fuit sancta, sed hominibus et præsertim quæstoribus, ut ipsum Concil. Trid. satis indicat in decreto citato.

Animadverti potest quantum sibi contradicant Protestantes, qui, dum agitur de satisfactione, nullam imponi volunt, suamque credulitatem catholicis exprobrant, laxitatem vero nimiam, dum agitur de indulgentiis.

ARTICULUS SECUNDUS.

DE IIS QUI HABENT POTESTATEM CONCEDENDI INDULGENTIAS.

Hæc potestas non est ordinis, sed jurisdictionis; competit:

1º Summo Pontifici respectu omnium fidelium; ille enim solus habet jurisdictionem universalem;

2º Episcopis qui jure communi easdem concedere possunt indulgentias dioecesanis suis quas summus Pontifex cunctis fidelibus; sed concil. Lateran. IV, anno 1215, statuit, can. 62, quod deinceps annum duntaxat concedere possint die consecrationis ecclesiæ, et in quibuscumque aliis circumstantiis quadraginta dies tantum.

3º Papa vel alius episcopus electus et canonice institutus, licet non ordinatus, indulgentias concedere potest quia jurisdictionem habet. Episcopus, e contra, dimissus, vel *in partibus infidelium*, potestatem concedendi indulgentias non habet, quia caret jurisdictione.

4º Delegatus ad hoc easdem concedere potest indulgentias ac ille a quo fuit delegatus; apud omnes enim in confessio est actus jurisdictionis per delegatos exerceri posse.

5º Cum episcopi non habeant jurisdictionem in extra-neos, solis dioecesanis indulgentias directe concedere possunt: si vero indulgentiam alicui loco affixissent, extranei eam consequerentur, opus determinatum perficiendo.

6º Cardinales centum dies concedere possunt in ecclesiis quarum sunt titulares, festis solemnibus, quando divinis officiis assistunt.

7º Legati a latere septem annos et septem quadragesimas in terris suæ jurisdictionis concedere possunt. Verum hanc potestatem in Gallia exercere nequeunt, nisi speciali ad hoc obtinuerint delegationem, ut habuit cardinalis Caprara, anno 1802.

8º Vicarii generales, juxta multos, indulgentias concedere non possunt sine speciali delegatione Papæ vel episcopi.

ARTICULUS TERTIUS.

DE CAUSIS OB QUAS LICET CONCEDERE INDULGENTIAS.

Quoniam potestas concedendi indulgentias a Deo concessa est, Papa et episcopi non sunt illius domini, sed tantum depositarii: unde illa valide uti non possunt sine justa causa, quæ duo complecti debet, nempe finem Deo gratum et opus ad consequendum hunc finem idoneum.

1º *Finem Deo gratum.* Sola autem remissio pœnæ temporalis non reputatur finis legitimus, alioquin Ecclesia omnem pœnam temporalem peccatis debitam semper sine alio motivo remittere posset, quod evidenter repugnat. Similiter indulgentia valide concedi non potest ob finem mere temporalem, v. g., ad obtinendam pecuniam, nisi haec pecunia in bonum opus cedere deberet.

Fines vero legitimi propter quos indulgentias concedere licet, sunt: 1º conversio infidelium, extirratio heresie, et exaltatio sanctæ matris Ecclesiæ; 2º augmentum pietatis inter fideles qui, frequentiori usu sacramentorum alias motivis et auxiliis supernaturalibus accensi, excitantur ad melius vivendum; 3º ædificatio vel reparatio alicujus ecclesiæ, fundatio nosocomii, vel alicujus religiosi instituti in honorem Dei vel sanctorum, aut in gratiam pauperum, infirmorum, etc.

2º *Opus ad assequendum hunc finem ideoneum;* id est, opus quod justam habeat proportionem cum fine obtinendo. Non necesse est ut pœnæ remittendæ æquivaleat, alioquin indulgentia jam non esset indulgentia; neque ut sit graviter molestum; aliunde enim sufficientem ha-

bere potest proportionem, v. g., si fidem excitet, spem erigat, charitatem inflammet, etc. Similiter quedam videli possunt levia respectu singulorum, quamvis sint majora respectu communitatis, ut recitare quinque *Pater et Ave*, ad postulandam extirpationem hæreseon, etc.

Non est fidelium, nec simplicium sacerdotum judicare de sufficientia causæ ob quam indulgentia conceditur. Cæterum, cum indulgentia sit divisibilis, si causa ad totum non valeat, valet saltem ad partem; si autem opus præscriptum recte perficiatur, pars ista obtinebitur.

ARTICULUS QUARTUS.

DE NATURA INDULGENTIÆ.

Sensus præsentis quæstionis est an Ecclesia, concedendo indulgentias, a pena temporali debita realiter absolvat. Contendimus illam realiter absolvere; vel enim a pena realiter absolvit, vel tantum permittit ut bona opera per modum suffragii Deo in compensationem penae offerantur: atqui posterius dici non potest; potestas enim concedendi indulgentias probatur ex verbis Christi, *Quæcumque solveritis erunt soluta*: porro hæc verba veram absolutionem indicant. Unde summi Pontifices, indulgentias concedendo, predicta verba sæpe referunt iisque nituntur, ut potestatem suam adstruant. Ergo.

Hæc tamen proprie dicta absolutio respectu vivorum duntaxat locum habet: nam mortui in purgatorio existentes Ecclesiæ militantis non sunt subditi: ergo realiter absolvi nequeunt. Indulgentiae igitur per modum suffragii ipsis applicari possunt, non vero per modum absolutionis. *Ita omnes theologi*, et summi Pontifices aliter non loquuntur quando permittunt aliquam indulgentiam mortuis applicari; dicunt enim eam per modum suffragii applicabilem esse.

ARTICULUS QUINTUS.

DE THESAURO INDULGENTIARUM.

Nomine thesauri indulgentiarum, intelligitur super-

abundantia satisfactionum Christi et sanctorum, quæ non fuerunt applicatae et in memoria Dei custodiuntur.

Notandum est dari discriminem inter merita et satisfactiones; merita personæ merenti sunt propria et alteri communicari non possunt; v. g., qui præclaris gestis jus ad mercedem acquisivit, efficere non potest ut alter, jus suum ei cedendo, eadem mercede dignus sit. Contra vero satisfactiones pro altero solvi possunt: v. g., Petrus centum nummos debet Paulo; si hanc summam ex proprio nomine Petri tribuat Paulo qui eam acceptet, Petrus erit liberatus in stricto rigore justitiae. Sic Christus pro nobis satisfecit.

Certum est ipsius satisfactiones fuisse superabundantes; nam unica actio ejus satisfactoria erat valoris infiniti, et pena temporalis peccatis hominum debita, quantacumque supponatur, est finita: ergo maxima pars satisfactionum Christi nondum fuit applicata, dispensationi Ecclesiæ committitur, et ab ea, juxta prudentiæ regulas, applicari potest.

Sancta Maria ab omni labe peccati originalis et actualis divino auxilio custodita; S. Joannes Baptista in ventre matris sanctificatus, qui tamen austera duxit vitam et decollatus fuit, multique alii sancti Deo obtulerunt satisfactiones penam peccatis suis debitam longe superantes: hæc superabundantia satisfactionum, tum Christi tum sanctorum, spiritualem Ecclesiæ thesaurum et indulgentiarum fontem inexhaustum constituit. Veritas ista contra Protestantes eam negantes probatur 1º auctoritate *Clementis VI*, Extrav. comm. l. 3, cap. 2; 2º auctoritate Leoris X, propositionem Lutheri damnantis atque dicentis indulgentias concedi *ex superabundantia meritorum Christi et sanctorum*; 3º auctoritate Pii VI, qui in bulla *Auctorem fidei*, n. 41, propositionem eundem habentem sensum quem habet propositio Lutheri, damnavit; 4º usu Ecclesiæ publice et constanter docentis thesaurum indulgentiarum ex satisfactionibus Christi et sanctorum coalescere. Hinc merito dicere possumus cum Apostolo, Rom. v, 20: *Ubi abundavit delictum, superabundavit gratia*.

ARTICULUS SEXTUS.

DE EFFICACIA INDULGENTIARUM.

Effectus indulgentiarum spectari possunt respectu vivorum et respectu mortuorum.

De efficacia indulgentiarum respectu vivorum.

Certum est 1º indulgentiam non remittere peccatum, sive mortale, sive veniale, quod culpam: nam remissio peccati supponit mutationem voluntatis et effusionem gratiae: at indulgentia voluntatem non mutat, nec gratiam infundit, sed tantum compensat satisfactiones justitiae Dei a peccatore debitas, et ad solum hunc finem conceditur.

Certum est 2º eam non remittere penam peccatis remisis debitam, si homo relapsus sit in novum peccatum mortale: nam homo in peccato mortali constitutus cuiuslibet operis vivi est incapax; nec mereri, nec satisfacere de condigno, nec igitur remissionem penae per applicationem indulgentiae obtinere potest.

3º Si quædam bullæ, indulgentias concedentes, de remissione peccatorum loquuntur, hoc intelligendum est de pena peccatis debita; vel si de peccatis, eo sensu accipiendo est quod bona opera prescripta et religiose impleta contritionem excitent, peccata venialia remittant et ad remissionem peccatorum mortalium disponant.

4º Pœnitentia olim canonibus determinata est mensura quam sequitur Ecclesia in concedenda indulgentia. Unde indulgentia Quadragesimæ, centum dierum, septem annorum, etc., est relaxatio seu remissio, non solum coram Ecclesia, sed coram Deo, penae temporalis quæ expiata fuisset per quadragenam, centum dies, aut septem annos pœnitentia canonica. Quæ vero pars purgatorii huic pœnitentia respondeat, quis sit modus applicationis indulgentiae, Ecclesia non definiit. Quando autem conceditur indulgentia plenaria, ea intelligitur quæ ex se sufficit ad plenam remissionem penae temporalis solvendæ, et quæ

illam revera remittit pro iis qui, positis debitibus conditionibus, ipsam lucrantur.

Nunquam certi esse possumus nos, per plures indulgentias etiam plenarias, plenissimam obtinuisse remissionem totius penæ temporalis peccatis nostris debitæ; saepè enim indulgentia plenaria fit partialis vel defectu causæ sufficientis, vel defectu operis fini intento proportionata, vel defectu dispositionum in agente.

Hinc 1º indulgentia ab obligatione pœnitentiam agendi non eximit; a fortiori fidelis pœnitentiam sacramentalem sibi injunctam propria auctoritate omittere non potest, sub prætextu quod lucratus vel lucraturus sit indulgentiam; quia haec pœnitentia legitime imposta et acceptata, ad integratatem sacramenti pertinet, et solus sacerdos tanquam judex eam mutare potest.

Hinc 2º Indulgentiae centum annorum vel maiores, vel quævis sint, possunt adhuc esse insufficientes ad compensandam totam penam temporalem quam peccator solvere tenetur; v. g., si quis millies, tum interne, tum externe iteraverit peccatum pro quo pœnitentia decennialis impoñenda erat ex canonibus, certe per talem indulgentiam pœnitentiam canonica non compensaret; aliunde nihil probat totam penam temporalem peccatis debitam pœnitentia canonica deleri. Ergo.

Hinc 3º peccatores vere conversi satagere debent ut bonis operibus et indulgentiis, sive partialibus, sive plenariis, debita quibus erga divinam justitiam astringuntur, quotidie minuant, atque penitus compensent in hac vita, ne in careerem purgatorii missi, inde non exeat donec novissimum solverint quadrantem.

De efficacia indulgentiarum respectu mortuorum.

Certum est indulgentiam applicari posse defunctis in purgatorio detentis eisque prodesse; et, juxta *Sylvium*, Suppl. q. 71, art. 10, haec propositio ad fidem pertinet. Etenim 1º Ecclesia ubique concedit indulgentias, declarans eas applicabiles esse defunctis: ergo credit eas de-

functis prodesse. 2º Leo X damnavit, anno 1520, propositionem Lutheri qui contendebat indulgentias defunctis non prodesse. 3º Pius proscriptis, in bulla *Auctorem fidei*, n. 42, aliam propositionem propositioni Lutheri similem, *tanquam falsam, temerariam, pias aures offendentem, summis Pontificibus injuriosam et praxi universalis Ecclesiae contrariam*. Ergo.

At, cum animæ in purgatorio detentæ jurisdictioni Ecclesiæ non subdantur, indulgentia ipsis applicari non potest per modum absolutionis sicut vivis, sed tantum per modum suffragii; id est, fidelis, concedente summo Pontifice, haurit in thesauro Ecclesiæ satisfactiones quas exhibet Deo, illum suppliciter rogans ut eas pro tali vel tali anima acceptare dignetur. Qua autem proportione Deus eas acceptet, nemo definire potest: itaque nunquam certi esse possumus animas, ope indulgentiarum, sive partialium, sive pleniarum eis applicatarum, a purgatorio fuisse liberatas. Unde indulgentia qua promittitur liberatio unius animæ e purgatorio, vim habet quidem animam liberandi, verum semper ignoratur quo gradu de facto fuerit applicata.

Quæritur quid necessarium sit ut indulgentia applicari possit defunctis.

R. Requiritur 1º ut superior ecclesiasticus declaraverit eam applicabilem esse defunctis; est enim actus jurisdictionis et a voluntate ejus pendet cui administratio thesauri Ecclesie concredita est. Hinc indulgentia simpliciter concessa pro vivis applicari non potest defunctis, nec indulgentia mortuis destinata, ut indulgentia altaris privilegiati, vivis applicari potest: si autem declaretur tantum applicabilis defunctis, ad nutum fidelis eam lucrari conantis, ipsi vel defunctis applicari potest.

2º Requiritur intentio determinata. Revera enim dici non posset indulgentiam applicari, juxta verba Pontificis, si nulla aut vaga et indeterminata duntaxat extitisset intentio eam applicandi. Quamvis definire nollemus indulgentiam pro pluribus defunctis oblatam eis non prodesse, saltem tutius est eam alicui individuo, vel nominatim, vel

ex aliqua circumstantia determinato applicare, v. g., animæ magis derelictæ, ei pro quo magis teneor orare, etc. Optimum est etiam plures simul habere personas in mente, sed conditionate, v. g.: Hanc indulgentiam applicare volo Andrea; si Andreas ea non indigeat, vel illius non sit capax, eam dirigo ad Petrum; defectu Petri, ad Joannem, etc.

3º Requiritur ut conditions præscriptæ accurate implantur. Si contritio et confessio inter has conditions inveniantur, ut ordinarie contingit, status gratiæ necessarius est, *ut satis patet*. Si vero indulgentia applicabilis defunctis cuidam operi externo annexa sit, nulla facta mentione confessionis aut communionis, probabilius est eam applicari posse defunctis ab homine in statu peccati mortalis constituto; nam opera præscripta non sunt causa meritoria indulgentiæ, sed tantum conditions sub quibus conceditur: atqui opus externum non est vitiatum, quia fit ab homine in statu peccati mortalis constituto: ergo. Ita Navarrus, Suarez, Sylvius, Bonacina, Billuart et multi alii, contra paucos qui aestimant statum gratiæ esse necessarium.

4º Requiritur ut defunctus in statu gratiæ decesserit: *hoc patet*. Cajetanus et quidam cum ipso docuerunt indulgentiam iis duntaxat prodesse defunctis qui, dum vivebant, meruerunt ut ipsis applicari posset, claves Ecclesiæ honorando, indulgentias defunctis applicando, alias pro seipsis lucrando et aliter justitiæ Dei satisfacere conando. Sententia ejus communiter rejicitur, licet plerique dicant indulgentias plus minusve prodesse defunctis, prout habitus suis meruerunt illas sibi applicatum iri. Hinc quanta sollicitudinis causa, sive erga nosmetipsos, sive erga defunctos!

ARTICULUS SEPTIMUS.

DE CONDITIONIBUS AD LUCRANDAS INDULGENTIAS REQUISITIS.

1º Indulgentia est actus jurisdictionis et absolutionis erga vivos: qui ergo non sunt membra Ecclesiæ, eam lucrari non possunt.

2º Cum indulgentia sit remissio pœnae temporalis, supponit statum gratiae et remissionem culpæ in eo qui eam lucrari intendit. Non tamen necesse est ut opera præscripta in statu gratiae impleantur, modo adsit gratia sanctificans eo instanti quo ultimum opus perficitur; nam in eo momento indulgentia applicatur.

Peccatum veniale non impedit quin indulgentia peccatis remissis respondens applicari possit: verum tunc non est plenaria in sua applicatione, siquidem pœna peccato veniali adhuc extanti debita non remittitur.

3º Requiritur intentio positiva saltem virtualis indulgentiam lucrandi: intentio virtualis ea dicitur quæ fuit actualis et in serie actionum adhuc perseverare censetur, quamvis agens de illa non cogitet. Nisi hujusmodi saltē intentio existeret, dici non posset hominem indulgentiam lucrari velle: attamen repugnat illum lucrari indulgentiam quam non intendit: ergo. Communiter docetur hanc intentionem per diem integrum perseverare, nisi retractetur: laudabilis est igitur et utilissima praxis piarum animalium quæ mane semper innovant propositum omnes lucrandi indulgentias bonis operibus hac die ab ipsis faciendis annexas.

4º Cuncta opera præscripta fideliter impleri debent; nam præcipue in hac materia valet axioma: *Verba tantum valent quantum sonant.*

Quædam opera omnibus indulgentiis plenariis ordinarie sunt communia, videlicet confessio, communio et preces juxta intentionem concedentis.

1º *Confessio.* Nisi præscriberetur, stricte necessaria non esset, ne quidem pro iis qui alicuius peccati mortalis sunt consciæ; nam per contritionem perfectam justificationem obtinere possent.

At quando habetur in bullis, ut fere semper, *rite contritis et confessis*, certum est necessariam esse confessionem sacramentalem iis qui peccato mortali inquinantur, quantumvis sint contriti: ita respondit sacra Congregatio indulgentiarum, die 19 septemboris, anno 1729.

Ab hac obligatione fere omnes theologi eximebant eos qui tantum habebant venialia: verum eadem Congregatio

pronuntiavit, die 19 maii 1759, illos pariter ad confessionem obligari. Clemens XIII hoc decretum approbat, publicari et vim legis habere voluit.

Sed postea supplicationibus multarum communitatum virorum ac mulierum, parochorum et episcoporum cedens, rigorem hujus decreti temperavit per indultum die 9 septemboris 1763, quo statuit ut omnes qui singulis hebdomadis confiteri solent, indulgentias plenarias occurrentes sine nova confessione lucrari possent, dummodo conscientia eorum nullo peccato mortali gravaretur. Hæc dispositio adhuc subsistit.

Dicta Indulgentiarum Congregatio aliud edidit decretum a Pio VII die 12 junii 1822 approbatum, quo permisit in gratiam eorum qui singulis hebdomadis non solent confiteri, ut confessio ad lucrandam indulgentiam in die festo necessaria, octo dies ante festum fieri posset.

Plures concessa sunt indulta specialia ad tempus tantum duratura, vi quorum, illi qui solent confiteri bis in mense eodem privilegio gaudent ac ii qui singulis hebdomadis confitentur. Tale indultum, sicut prædecessores nostri, pro diœcesi obtinuimus cujus renovationem tempore debito procuravimus.

Petitur an, in frequentibus istiusmodi confessionibus, semper concedenda sit absolutio sacramentalis, ut indulgentia obtineri possit.

R. In editionibus præcedentibus, dicebamus id necessarium nobis non videri, sed tutius esse absolutionem impertire, propter sententiam contrariam quorundam doctorum.

Nullum autem nuac exstat dubium; sacra enim Indulgentiarum Congregatio respondit, die 15 dec. 1841, necessarium non esse absolutionem dare.

2º *Communio.* Quandoque plenariam indulgentiam lucrari licet absque communione, v. g., in articulo mortis, ubi sacrum viaticum administrari non potest; in pio exercitio dicto *vicæ Crucis*, etc. Verum ordinarie præscribitur communio quæ ipso die festi fieri debet: attamen decretum Congregationis indulgentiarum diei 12 junii 1822, a

Pio VIII approbatum, eam facere permittit vigilia festi.
3º *Preces.* Ordinarie dicitur in bullis, *Qui pie oraverint;* saepe exprimitur finis propter quem orandum sit, v. g., concordia principum Christianorum, exaltatio sanctæ matris Ecclesiæ, extirpacio schismatis ac hæreseon, conservatio summi Pontificis. Si finis non exprimatur, sufficit ut secundum intentionem concedentis indulgentiam ore tur.

Non determinantur orationes facienda, et sufficit quinque recitare *Pater et Ave*, aut quid æquivalens, v. g., decanam Rosarii, litanias sanctissimi Nominis Jesu, beatissimæ Mariæ Lauretanæ, etc.

Oratio mentalis noui sufficeret, quia per orationem simpliciter intelligitur oratio vocalis, eo modo articulata ut quis se audire possit.

Tempus ad recitandas hujusmodi preces determinatum extenditur a primis vesperis ad ultimum crepusculum diei festi, et in diebus ferialibus, a media nocte ad medium noctem sequentem.

Ex declaratione Benedicti XIV, Inst. 53, n. 7, et Encyclica *Inter præteritos*, diei 3 decembris 1749, § 53, opus aliunde prescriptum inservire non potest ad lucrandam indulgentiam Jubilai: unde qui recitaret preces ad quas ex voto vel ex precepto Ecclesiæ aut ex mandato confessarii tenetur, conditionem orandi ad lucrandam indulgentiam a summo Pontifice prescriptam non impleret.

Multa sunt alia scitu necessaria circa indulgentias plenarias et partiales, circa confraternitates et Jubileum: pro iis ediscendis remittimus ad tractatum nostrum Gallicum cui titulus: *Traité dogmatique et pratique des Indulgences, des Confréries et du Jubilé, à l'usage des ecclésiastiques qui travaillent dans le saint ministère; 1 vol. in-12.*

FINIS TRACTATUS DE POENITENTIA.

TRACTATUS

DE EXTREMA-UNCCTIONE.

Extrema-Uncio, sic dicta quia infirmis in extremo vitæ periculo constitutis administratur, vel potius quia ultima est uncio sancta homini destinata, aliis etiam donatur nominibus: v. g., dicitur *unctionis infirmorum, sacramentum exeuntium*; et apud Graecos, *oleum sanctum, oleum cum oratione, oleum benedictionis.* *Arcadius*, l. 5, cap. 1.

Definiri potest: *Sacramentum novæ Legis quo, per olei benedicti unctionem et sacerdotis orationem, Christiano periculose ægrotanti animæ et etiam corporis, si expedit, sanitas restituitur.* Veritas hujus definitionis ex dicendis patebit.

Præsentem dividemus Tractatum in octo capita. In Iº de existentia, in IIº de effectibus, in IIIº de forma, in IVº de ministro, in Vº de materia, in VIº de necessitate, in VIIº de subjecto, et in VIIIº de ritibus hujus sacramenti disseremus.

CAPUT PRIMUM.

DE EXISTENTIA EXTREMÆ-UNCCTIONIS SACRAMENTI.

Juxta Bellarminum et quosdam alios, Valdenses, Wicelistæ et Hussitæ sacramentum Extremæ-Uncctionis negaverunt: verum Bossuet, *Histoire des Variations*, l. 11, num. 108, Juénin aliquique plures eos ab hoc errore vindicant Lutherani vero et Calvinistæ illud suggillantes procul rejiciunt. Inter eos, tamen, plures fere nobis in hoc suffragantur. Leibnitz, *Syst. Theol.*, dicit « non multo » disputandum de unctione infirmorum, quæ verba habet » Scripturæ sacrae, interpretationem Ecclesiæ cui pii et » catholici homines tuto fidunt, etc. » Vide antiquiorum